

xiv

Subsiduntque irae, totaque in fronte renidet
 Dulcis pax almae filia laetitiae:
 Ipsius & sceptro super illa avium regina
 Hinc atque hinc laxans parte ab utraque leve
 Remigium alarum, postquam est adfusa soporis
 Nubes lenito nigra supercilio,
 Suave oculis claustrum, somnos placide levis efflat,
 Atque efflans dorsum subrigit uvidulum.
 Gaudet quin etiam cantu Mars caede cruentus
 Hastarum oblitus tunc & equum & clypeum:
 Altaque dii quotquot caelestia templa frequentant,
 Et ducunt haustus ambrosios cyathis.
 Jupiter at quoscumque odit male per vaga ponti
 Aut freta, terrarum vasta per aut spatia,
 Pieriae inlecebras oderunt vocis; & acer
 Coeus, & Iapetus sub styge, & Enceladus;
 Quique olim eductus Cilicum sub rupe (d) Typhoeus,
 Nunc Cumis, nunc & litoribus siculis
 Subpositus graviter premitur. sua pectora setis

Nunc

(d) Virgilius quidem *lib. III. Aen.* & P. Cornelius Severus sub Aetna conlocant Enceladum: at Pindarus *Pyth. od. 1.* non Enceladum sed Typhonem qui & Typhoeus dicitur, Aetna in Sicilia premi adfirmat: ait enim

τυφως ... χιον δ' ὑρανιᾷ συνεχὲς νιφθεσσ' Αἴτνῃ,
 πάντες χιονος ὄξυς τιθῆναι &c.